



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 174. Indutum veste alba. v. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

præsumptionem, proteruiam & contumaciam: procacitatem & tumorem; contentionem & inobedientiam; calliditatem & simulationem: omnes fastus superbiæ; appetentias inanis gloriæ; non sit Domine, neque videri possit vllum tantum malum; tantæque perditionis signum in seruo tuo; neque in moribus meis, neque in verbis meis, neque in cogitationibus meis. Da mihi bona tua quæ tibi placent in veritate eum tanta etiam profunda humilitate, vt nullus in me pateat locus inimicorum insidijs, & præsta vt sim paruulus in oculis meis, quatenus plenam gratiam inueniam in oculis tuæ maiestatis.

S. 174. *Indutum veste alba. v. II.*

Textura vel falso argento splendenti, sed attrita ex ædium forte ferutis extracta & verusta ac læcera. composita ad ludibrium more comædoram, ridicula, vt esset pro aulico morione à cunctis habendus atque exhibendus. Heu mihi hunc contemptum indignissimum: considera paulisper, ò Christicola, quomodo ille, qui est verbum, quod procedit ab ore altissimi; qui est vnicus Dei patris filius, à cunctis fuit irritus, illulus, spreus qui venerat omnium misereri. Sed in hac irrisione aliquid longe diuersum occultabatur, quod nesciebant Iudæi: etenim Christus fuit veste alba donatus ab aula Herodis in testimonium innocentis vitæ: in aula Pilati veste coccinea vel purpurea in testimonium Regiæ potestatis, à Principibus sacerdotum & satellitio eorum funibus & catenis in signum peccatoris: ab illusoribus in nocte velo, in signum Prophetæ, per Angelum in horto, calice passionis: & sic collegit Christus Dominus & meruit mundum & ornatum omnem, quo hodie sui ministri, sacerdotes dico, vtuntur in sacris, siue ministerio Domini, seu liturgia.

Quid agis Herodes cum tuo scelerato exercitu: quem præ manibus vos habere existimatis: an aliquem Nabal, qui secundum nomen suum stultus sit: an quemlibet & è triuio, qui ignorare, errare, vel peccare possit vt cæteri? toto cælo fallimini; tamen vobis videamini sapientes; Dominus ac Deus vester est, in cuius manibus vita, mors; qui solo nutu gubernat omnia. *Hæcine reddis Domino popule stulte & insipiens! nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te & fecit & creauit te.* Vere stulti facti sunt Principes Tancos (hoc est motus & tumultus istius) & sapientes ac consiliarij Herodis dederunt consilium insipiens. *Propter hos audite verbum Domini: Viri illusores, flagellum mundans cum transferit,*

Q 2

eritis